



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 404. De traditis bonis in villa Hallu in pago Tilithi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
949 usque  
965 re-  
gnante  
Ottone I. *hallu.* (h)

§. 404.

Tradidit rothuardus pro se et coniuge sua uindilmod II familiae in

§. 405.

De villa  
Hallu  
in pago  
Tiliti.

(h) Villam *Hallu ad pagum* esse relatum *Tiliti*, refert nobis Saracho abbas in Registro. Significari censemus vicum *Halle*, locum principatus Wolferbuttelensis, intra praefecturam Wickensen. Ephoriae ecclesiasticae sedes inde Beueram fuit translata a. 1734. Ad diocesin Hildesheimensem olim spectasse locum, patet ex eo, quod in eadem regione locus Puregritte et fluius Wabeche termini erant parochiarum Mindenensis et Hildesheimensis ecclesiae, teste diplomate in Lunigii *Reichs-Archiv Spicil. Eccles. P. II. im Anhang p. 105.* Anno 1056 praedium quoddam in villa, quae *Hallo* dicebatur, comparauerat sibi Eilbertus, abbas Abdinghonianus tertius, a Thancmaro et huius heredibus XX marcis. Eodem tempore villa *Hallo* erat in comitatu Bernhardi ducis sita, teste diplomate in Nic. Schatenii *Annal. Paderb. T. I. p. 548*, nisi malueris designari locum *Halle*, quem iuxta monasterium Wildeshufen posuit auctor *Compilationis Chronolog. T. II. S. R. B. Leibn. p. 62.* Comitatu Euersteinensi olim adnumeratam fuisse villam *Hallu*, in pago *Tiliti* sitam, negari sane non poterit. Quamuis enim e litteris, iam supra (§. 398) allatis iudicium facere liceat, vicum *Halle* anno 1551 ad dynastiam Homburgicam fuisse relatum; putamus tamen, ibi de solo vico *Krepe* id adfirmari: Comprobamus id ipsum litteris Ernesti, ducis Brunswicensis et Luneburgensis ad annum 1594, in quibus viro nobili Statio, de Munchhausen dicto, in feudum conferuntur bona, quae Vde de Halle a domino *Euersteinensi* quondam ex feudi beneficio tenuerat. Haec complectebantur praedium cum aliquot mansis, in vico et iuxta vicum *Halle* situm, praedium in Perdestorp, item die *Grundhöfe in Borkenstede* et vicum *Buye* cum eorum partibus adnexis. Sane quondam possedisse comites de Euerstein in villa *Halle* bona hereditaria, constat e litteris *Otonis comitis dicti de Euerstein*, in quibus anno MCCXL. indict. XIII. *legat ecclesie Amelungesbornensi censum nouem talentorum prope Hemmendorpe post suum et uxoris sue obitum in elemosynam, deinde receptis XL talentis Hildesheimensis moneta eidem plane renuntiat, ac ecclesie Corbeiensi, a quo hoc feudum porrigebatur, in compensationis vicem tradit censum per bona sita in Halle, eumque ab abbate in feudum suscipit, et insuper duo talenta ex nouem talentis predictis a fratribus Eschwino et Henrico, militibus de Steinberg, redemit. Testes huius rei erant Fredericus praepositus, Albertus Praepositus, Conradus, Lodewicus, et Hermannus comites de Euerstein, omnes fratres predicti Otonis: miles Albero de Herstelle, Henricus dapifer, Henricus Rebok, Lodewicus Mucke alique, Alberto filio Otonis in castro Holtzminne censum in manus Amelungesbornensium resignante, presente abbate Theodorico.* Huius autem facti consensionem impertit eodem anno abbas noster Corbeiensis, Hermannus, diplomatis, quod e membrana huc inferimus, interuentu. En illud.

In nomine sc̄e et indiuidue trinitatis. Zermannus dei gr̄a Corbeiensis abbas. uniuersis Xpi fidelibus in ppetuum. Quotiens id a nob̄ petit<sup>r</sup> quod rationi conuenire dinoscit<sup>r</sup> nec unde nra ecclia p̄grauatur. animo nos decet libenti concedere. et petentiū desideris effectū congruū exhibere. hinc est quod piis sc̄ib<sup>9</sup> uiri nobilis comitis Otonis de Euerstein benigne auiūtes censū nouē talentoz. de salinis in hemmendorpe. quem a nob̄ in feodo tenuit. et consensu nro ecclie bte marie uirginis in Amelungesborn in elemosina obulit. ob ipsius dilectionē et instatiā cū capituli nri et ministerialiū conuientia eidē ecclie contulim<sup>9</sup> cū omni pprietas iure ppetuo possidendū. uerū ut nos indemnitati ecclie nre nihilomin<sup>9</sup> cauerem<sup>9</sup>. bona quedā. que dicunt<sup>r</sup> Elhof sita in halle de-

cē